



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

6 De causis Desolationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

proposito, quod fecissemus, si lacrymis ob-
ruti non fuissetis

Memineris ergo tempus illud, non plo-
tationi, sed orationi destinarum. Et si con-
temnendæ non sunt tres vel quatuor la-
chrymulæ, quando spontè oboriuntur, nam
S. Ecclesia orationem peculiarem in Missa-
li posuit, *Pro petitione lachrymarum*. Verum
noris potius intendendum prosequendæ
meditationi. Excipio viros perfectos, qui-
bus pænè continenter lacrymæ sunt in o-
culis, uti accidit B. P. N. Ignatio, cui sub vi-
tæ finem à summo Pontifice facultas obti-
nenda fuit, ne teneretur horarum canoni-
carum persolvere pensum, ob continuas la-
crymas, quibus excæcandus videbatur.

De causis Desolationis.

C A P. VI.

EXPRONAM primò quid nomine Deso-
lationis secundum doctrinam B. P. Igna-
tiii intelligam. *Desolatio*, inquit, *vocari debet*
quævis anima obtenebratio, perturbatio, in-
stigatio ad res infimas, seu terrenas, omnis de-
viq; inquietudo & agitatio, siue tentatio tra-
hens in diffidentiam de salute, & spem cari-
tatemq; expellens. Unde se anima tristari, te-

Hæc s; pescero

gescere & torpere sentit, & de Dei clementia prope desperare. Sicut enim consolationi opponitur desolatio, ita etiam quæ ab utraq; oriuntur cogitationes, sunt inter se prorsus opposita. Cum verò Desolatio contraria sit consolationi, quicquid huic contrarium est, hoc illi proprium esse debet.

VENIO nunc ad eius causas. inter quas prima sit Deus, qui immittere aliquando solet illas desolationes tribus de causis. Prima est, vt tepiditatem nostram quam in cultu diuino ostendimus, castiget. Altera est, vt faciat nos aduertere, num ex puro amore, an propter consolationes tantum suæ diuinæ maiestati seruiamus. Tertia, vt sciamus virium nostrarum non esse, vel acquirere, vel retinere feruorem deuotionis, vehementiam amoris, abundantiam lacrymarum, aut aliã quamq; internam consolatione: sed omnia hæc gratuita esse Dei dona. Quæ si vendicemus nobis vt propria, superbiz & vanæ gloriæ crimen non sine salutis graui periculo incursumus. Alibi verò adiungit & quartam. *Quamdiu, inquit, premimur desolatione, cogitandũ est nos interrim relinqui à Domino nobis ipsis probationis causa, vt per naturales quoq; vires insulibus inimici nostri obsistam: id quod possumus*
haud

haud dubiè assistente nobis prasidio diuino, quod semper manet, licet tunc nequaquã sensuatur, eo quod feruorem pristinum caritatis Dominum subtraxerit, relicta nihilominus gratia, qua ad bene operandum, & consequendum salutem satis esse queat.

Venit mihi hic in mentem admonere te, quando desolatus es, ne facile existimes Deum id facere ob dictam causam, sed ob primam. Vt enim nemo sapiens grãde onus imponit humeris pueri, sed hominis robusti: sic non est existimandũ Deum sapientissimum, clementissimumq; impositurũ humeris tuis tam graue onus, quale est diuturnarũ desolationũ, cũ in vita spiritali adhuc sis tyro & puer. Confirmat hanc doctrinam B Augustinus lib. 1. de serm. Domini in morte, dum agit de leuitate præceptorũ veteris testamenti, respondentium spiritali pueritiã Iudæorũ, & soliditati præceptorũ legis nouæ congruentiũ cum virili Spiritu Christianorũ. Cum auẽ, inquit, *minora minoribus, maiora maioribus dantur, ab eo datur, qui solus nouit congruentẽ suis temporibus genus humano exhibere medicinam.* Verum quod Deus permittat adultis & perfectis, persuadet illud, quod factũ est in S. Paulo. Qui scribens *2. Cor. 12. Datus est, inquit, michi stimulus* ad Corinth. *Datus est, inquit, michi stimulus*

crucis

carnis mea, angelus Satana, qui me colaphi-
zet. Et nota fateri illum esse datum sibi sti-
mulum pro medicina præseruatiua Ne ma-
gnitudo reuelationum extolbat me. Qui tamē
alias in tantam desolationem & afflictio-
nem cum sociis venit, Et taderet, inquit, nos
 2. Cor. I. *Viuere. Quisquis ergo perfectus nō est, pro-*
cul dubio potius censere debet, desolatione
se ob tepiditatem punitum, & ita se ad no-
uum feruorem animi accendere, ac illico
subsidium aderit. Nouit enim Dominus, in-
quit B. Ambrosius, mutare sententiam, si tu
noveris emendare delictum.

ALTERA causa desolationum potest ef-
 se Daemon. *Euidens tunc erit, inquit B. P.*
Ignatius iudicium auctorem cogitationis hu-
iusmodi esse spiritum malignum & pote vili-
tati, & salutis nostra semper aduersantem Ad-
uersatur autem aliquando palam, aliquan-
do occultè. palam in incipiētibus, quia eo-
rum profectus plurimum repugnat eius co-
natibus. Eorum, inquit, qui promouent in bo-
no salutis animis se insinuat malignus duri-
ter, implacidè, & violentè cum strepitu quo-
dam, sicut imber descendens in petram. Et a-
lio in loco. Homini bus, qui se à vitio purgan-
dos curant sollicitè, & in obsequij diuini stu-
dio magis in dies promouent, inuenit spiritus
 mali-

malignas molestias, serupulos, tristitias, rati-
ones falsas, & alias id genus persecutiones, quo-
bus profectum illum impediatur. Occultè de-
inde procurat in Proficiētibus prætectu boni
finis, non veri, sed apparentis. De qua re i-
dem Pater sic scribit Quoties cōtingit aliqua
suggestione deprehendi hostem ex cauda sua
serpentina, id est, sine malo, quem nobis sem-
per insinuare studet, tunc plurimum iuuat re-
uoluerè discursum totum, & notare, quid ab
initio prætulerit bona cogitationis, & quo-
modo pracedentem spirituali gustus suauita-
tem, animoq; serenitatem sensim amouere, ac
venereum suum infundere tentarit.

TERTIA causa desolationum est ange-
lus bonus, maximè in hominibus peccato-
ribus, & malæ vitæ, Illis, inquit idem Pater,
qui facile peccant lethaliter, & peccatum pec-
cato addunt, spiritus bonus conscientiam prun-
git assidue, & per synderesis rationisq; officia
a peccando deterrere.

De Desolationis effectis.

CAP. VII

PRIMVS effectus Desolationis est, quem
describit S. Bonauent. Tentatio, inquit,
deuotorum maximè tempore desolationis esse
basitare, quod gratia consolationis non sit à
Deo,

Tom. de
proc. vit.
relig. c. 21.